



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorum Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Conserva me domine, quoniam speravi in te.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

CONSERVA me domine, quoniam speravi in te.

CHAEC EST uersus posterior pars in hebraeo, nam prior pars, titulo constat, sunt autem uerba Christi per totum psalmum, incipit enim affectu iam pereuntis ac derelicti ab omnibus, & morientis, hoc modo: Ecce ego morior, dereliquit me uirtus mea, dereliquerunt angeli & homines, quin daemones & oēs homines perdidit me, Perijt fuga a me, & nō est qui requirat animā meam, desperatus deploratusq; sum omnibus, itaq; tu qui solus es mihi seruator, q; perditos seruas, uiuificas mortuos, exaltas afflictos, serua me. Quali dicat, illud: Pater, in manus tuas commendo spiritum meū. Non autem pro solo passionis tempore sic petit conseruari, uerum tota uita sese in seruato re deo pēdere cōfiteatur, ac quotidie mori, ut Paulus gloriatur, ita semper perit, semperq; seruatur pius, atq; hęc est uita noua fidei & spei hoc psalmo commēdata, uita scilicet crucis, hoc est mortis, nec huius nisi turpissima. Qui ergo in pace agit, uel se suis aut hominum uiribus seruat, nunquid potest dicere deo: Conserua me domine? Respondebitur enim ei, quid conseruem cum nondum pereras nec perditus sis? Discamus ergo tunc potissimum esse clamandum, quando perimus, ubi homines minime omnium clamant, sed desperant potius.

*Semper perit
semper serua
tur pius.*

*Meritum de
congruo &
condigno.*

Quoniam speravi in te. Ecce fiducia & spes inuocant, quomodo inuocaret, qui non confideret? ipsa fiducia allegatur pro merito congruo & condigno (ut uidemus) salutis aeternae, cur nō allegat opera, & uirtutes pro meritis? Nempē q; in hoc excessu nihil subsistit, nihil seruat, nisi pura & firma fides in solam misericordiam dei nitens, quae nihil de se, sed omnia de deo praesumit, ut monstrat hic Christus suo pulcherrimo exemplo, de quo affectu & emphasi uerborum istorum, speravi, & in te, abūde dictum est psalmo. v. Si enim in aliud q; in deum speretur, iam non poterit dici, speravi in te. Et quis de suis meritis praesumat, quando hic caput omnium Christus, tacitis meritis, in fide & spe miserentis dei solummodo nititur: Desperatis itaque in omnibus & per omnia hic affectus congruit.

Dixi domino, deus meus es tu, bonorum meorum nō indiges.

Hieronymus sic reddit partem posteriorem: Bene mihi non est sine te, mihi potius sic reddendum uidetur: Bonus fui nō ad te, ut *רובתי* robathi, sit uerbum absolutum, q; si liceret dicere, bonauī diceret, hoc est, bonus & pulcher fui, ut sit sensus: Ideo dixi ad dominum, q; mihi esset deus a quo omnia haberem, & ipse nihil a me (id quod uere est esse deum) quia nō fui bonus in eum, nihil enim in eum beneficij contuli, quis enim prior dedit illi & retribuetur ei? Ro. xj. Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipsum sunt omnia. Hunc sensum nosster interpres uidit, cum dixit: Bonorum meorum non indiges. Et Hieronymi sententia sic consonat, q; nō modo nos nihil possumus dare deo, sed omnia bona ex ipso habemus, & sine ipso nihil boni habemus.

Dicit hęc autem Christus in commendationem crucis, intutus duas contra *Duacōtraria* rias hominum generationes, quarum alteram, scilicet piorum, uidit ex sese *hominum ge-* sci & sibi parari in regnum & hereditatem, alteram, scilicet impiorum, quia in *nerationes.* cruce scandalisatur, relinquēdam esse. Ac si dicat: Ecce morior & in oculis hominum impiorum nihil minus apparet, q; ut tibi placeā, aut rex & haeres tuus *sim futurus,*